34

TAMISIS TRIUMPHANS,

SIVE

PANEGYRIS

JACOBO II,

Sereniſſimo, Potentiſſimo, ac Invictiſſimo

MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ, & HIBERNIÆ

REGI, FIDEI DEFENSORI, &c.

ipſo Inaugurationis die, 23. np. *Aprilis,*

dicta

ab

O. F. B. S. C.

Londini. Anno 1685.

BIBLIOTHECA·BODLEIANA·

ALbionis *plausus inter, Tamisinaque læta*
Jubila, & Arctoæ popularia gaudia Romæ,
Si simul hostes ebur sui, peregrinaque plectra
Attonitâ tentare manu, nec barbara prorsus,
Sede deorum, Albâ prohibetur barbitos Aulâ;
Incipiam pro parte sacras prostratus ad aras
Et summo dare vota Deo, lætumque precari
Auspicium, niveosque dies. Sum hac quoque Baltis
Gaudia, & undisonus procul audiit ista Codanus.
Quid vetat, Augusto posses scandente curules,
Stridere agresti raucum sua carmina buxo
Seu Mopsum, seu aëriâ sub rupe Menalcan?
Cur scelus est, magnum celebrare mapalia Numen,
Et sylvas resonare Jovem? Cur, odrysius Thrax,
Advena Romuleas si fortè advenerit oras,
Bistonios premat ore sonos, cum publica septem
Jubila per montes fervent, Geticasque loquelâ
Barbaricos dubitet de more attollere plausus,
Lætitiæ documenta suæ, si maximus intret
Fortè Quirinalem victor Germanicus urbem?
Ipsi amnes nova sæpita, atque ipsa arbusta salutant,
Et graciles nutant in mutua carmina sylvæ,
Gratanti dictata Noto. quamplurima dudum
Augurium decantat avis, nec Thracia tantum
Heu! misera ingratos deponit adultera questus,
Cæsareos meditata modos, & dulcis alauda
Deproperat tremulos numeros, plenumque laboris
Concentum, sed pica loquax, & ab ilice levâ
Venturi præsaga imbris vanis improba cornix,
Et falco ad Boream volitans, plaudentibus alis,
Cum cantu liquidum urget iter, tuque obscen ab ortu,
Corve, redux crocitas, Progneque, & rauca palumbes,
Et fati memores inter strepit anser olores.
Quid fileat mea Musa? Eni o fortissime Regum,
Vasta Caledonii cui dudum regia Nerei
Captivis famulatur aquis, cuique ultima Thule
Gaudet inaccessi substernere terga profundi,
Externas en! DIVE, aris admitte Camenas,
Et dextrâ dignare Deas. Namque ora peresa
Quod veniant, lacerasque stolas, tardasque ineffum,
Heu! pedibus confecta via est, longèque propinquent,
Ut trabeam metuendam, & formidabile dextra
Extra annique & solis iter gestamen adorent.
Ne carmen te turbet iners, fractique tumultus
Pectinis. Aëriæ fama est in vertice Dictes
Curetum strepitus patientem audiisse Tonantem.
Quondam etiam Phœbus pharetrâm exoneratus & arcum,
Pastorale probavit opus, nec thyrsiger Evan
Bassaridum raucos bacchata per ismara sprevit
Clamores, nec Dardanio Corybantia monte
Æraque, tympanaque, & bifores audire tumultus
Aversata Deum Genitrix, nec blandula magni
Vacca Jovis strepertm ripâ Memphiride sistrum.
Jamque age, Dive, adsis, multoque accenda crepentem
Numine, dum festis tellus conspirat & æther
Plausibus, & geminâ votorum fervet in aulâ

Tempeſtas. alium nolunt mea carmina Phœbum.
Quid primum, mediumve canam? longène per altum
Ire jubes, raptas & commemorare tiaras,
Et civile nefas, & lumen tramite Solem
Obliquo, crimenque orbis ſpectare negantem?
Omina fauſta ſequar. Priſci veſtigia cerno
Temporis, & flavi redeuntia ſecla metalli.
Non ultra jam ſævit hyems. Quis, Regibus iſtis,
Non nitidos ſperet ſoles, videatque ſerenos
Ire dies? Quales Ægeo in gurgite nautæ,
Cum ratis inſanis cœlo ſuſpenſa procellis,
Mox ſtygios timet ima lacus, ſi forte tenebris
Oebalidum oſtendi cernant duo ſidera fratrum,
Ilicet alta ſonat puppis clamoribus, omnes
Tolluntur cum voce manus, ſperantque ſalutem.
Tu quoque poſt longam noctem, triſtiſque tenebras,
Anglia, *Amyclæum ſpectâſti lumina fratrum,*
Lumina, qua vaſtum poterant luſtrare profundum,
Et ſolis ſuperare facem. Tunc, Anglia, *felix,*
Tunc penè invidioſa polo, tunc æmula Divis
Tempora, & æthereos numerabas lætior annos.
Hei mihi! quam nullum ſervat Rhamnuſia vultum!
Turbantur Gemini nimbis; lucem invida nubes
Unius occuluit ſtellæ. ſtat ſideris almi
Truncus honor, quæritque ſuos jam triſtior ignes
Albion, *oceano fluitans, metuitque revelli*
Gurgite, dum tenebræ incumbunt, quondamque ſubire
Errores, vage Dele, tuos. Quis æquore dudum
Falleret incertos nautas, mediuſque notaret
Fundo abrupta vadis, nî jam jactantior aſtrum
Exereret FRATER, *totumque in lumina ſidus*
Cogeret, & puncto radians extenderet omni
Immortale jubar. Fama eſt, cum pulvere Grajo
Semideus ſævâ caderet ſub cuſpide Caſtor,
Pollucem, cui fata Deûm, ſtudiumque Tonantis
Perpetuæ uſuram lucis, (ſic ſancta vetuſtas
Prodit) & æternam dederat traducere vitam,
Unanimo fratri, ne non is luce fruatur,
Partem ævi tribuiſſe ſui. ſubit ille reverſus
Ex Erebo, alternos fratris victurus in annos.
Haud ſecus exemplar veteris virtutis & ævi
Magnanimus CAROLUS, *poſtquam ſua ſidera cœlo*
Intulit aufugiens, vincit ſua fata ſuperſtes
In FRATRE, *& poſthac durando ſecula vincet.*
Huic etenim mites nent candida ſtamina Parcæ,
Filaque perpetuum intexunt aurea fuſis.
Currite JACOBO, *ſubtegmina, currite, telæ,*
Perpetuoſque age, Parca, colos. Haud juſtius ulli
Iliacos, Lacheſis, dabis exorabilis annos,
Neſtoreoſque ſitus. etenim nec juſtior alter
Arctoum tractavit ebur, nec amantior æqui.
Dicite, quæ Nymphæ Tamiſin, ripaſque propinquas
Incolitis (nam prima novi cunabula Regis
Spectâſtis, magnaque hærentem matris in ulnis;
Vagitumque Jovis teneris hauſiſtis in annis)
Dicite, queis vernans ſtudiis accreverit ætas,
Et quid agens juvenis ſceptris adoleverit aptus?
Vos, Diva, memorate. mihi non cognita famâ
Omnia. Quis ſuperûm novit primordia Divûm?
Namque ferunt dias primum cum cerneret auras,
Flumina jam lactis, jam flumina nectaris iiſſe.

Tunc & Iſis cepit flavis decurrere ripis,
Tunc limo ſplendente fluens, ramenta marito
Aurea tranſmiſit, Lydoque ſuperbior amne,
Heſperioque vivit non amplius invida rivo.
At pater errantum Tamiſis Regnator aquarum,
Admiratus opes & conjugialia dona,
Protinus ingentem generoſi rore Falerni
Urnam implevit ovans, retroque uxorius alveum
Nectarea convertit aqua, notaque petivit
Virginis amplexus. ſtupuit prædulcia Nais
Oſcula, vix credens pelago rediiſſe maritum.
Ille racemiferâ diſtinctus tempora vite,
Et Surrentino cerebrum perfuſus Iaccho,
Immenſos plauſus, & jubila ſpumeus alto
Advolvit cœlo, curvum queis littus & omnes
Intremuêre agri, penituſque exterrita conjux.
Mira loquor. quicquid nemus altæ mittit Idumes,
Quod Panchæa nuceta coquunt, quodque Eboſis ora
Educat: Ambroſia ſucci, ac unguenta Sabæa,
Et myrrha, & nardus, guttæque halantis Amomi,
Et procul Eois ſudantia balſama virgis
Aëriis cecidêre plagis, pluviamque ſuperbam
Cæſareus bibit ore infans. Ea fama vagatur.
Adſtitit ad cunas, dextrâ librante bilances,
Alma Themis. *Forte illa poli interioris in aulâ*
Ut ſonitum accepit fletûs, tremuluſque per aures
Allapſus vagitus iit, nunc viſere rurſus
Terram, ait, en! menti calor incidit, indeque greſſum
Cum dicto rapit alite Cauro, ac fulminis alis
Ocyor, & miſſâ, nervo pulſante, ſagittâ.
Sacrâ etiam PIETAS *aderat circumdata pallâ,*
Infula cui priſco velabat tempora cultu.
Vendicat illa ſibi totum, fovet illa tepenti
Complexum gaviſa ſinu, tenet illa ligamen,
Illa rotat cunas, & celſa per atria currens,
Præ reliquis nimium vult officioſa videri.
At vero auguſtos jactans PRUDENTIA *vultus*
Pone ſubit. prorſus jucundum & amabile monſtrum,
Mille oculi cui fronte ſedent, & lumina mille
A tergo. in vicibus capiunt quaterna quietem,
Cætera proſpiciunt longè, vigilique perennè
In ſtatione manent. pueri ſubit illa tenellum
Pectus, & arcanos inſpirat præſcia ſuccos.
Nec tu aberas, niveo radians CLEMENTIA *vultu,*
Tu lenem facilemque facis. PATIENTIA *vires*
Addit, & invictum facit inter turbida corpus.
Illum etiam validis CONSTANTIA *tollit in ulmis,*
Ne perſonatis flectatur mobile ſcenis
Ingenium. curvat ſublime MODESTIA *culmen.*
Talis in herboſâ reptabat parvulus Idâ
Jupiter. illi omnes aſſurexêre jacenti
Et nemorum pecorumque Dii: dat proxima ramis
Sylva canora ſonos, præſentis conſcia dudum
Numinis: attonitæ ſtant circum, artuſque coruſcos
Mirantur pecudes: montis ſtupet ipſe tuendo
Intonſus vertex, & vix ſua gaudia credit.
Jamque ubi vix teneris vernabat in unguibus ætas,
Quà certo pede ſignat humum, Parnaſſus & alta
Pieridum delubra patent. luſtrantur Athenæ,
Producitque ſuos vaſto fabuloſa theatro
Terra Pelaſga Duces. puero ſe fortibus auſis
Miltiades jactat, ſuaque audax arma Lyſander,
Cliniadesque ferox, ſpoliiſque inſignis opimis
Pelopidas, & qui victor Salaminide ripâ

Fudit

Fudit Achamenias ingenti ſtrage catervas,
Militiæ canit acta ſuæ, nec corpore parvo
Magnus Ageſilaus tantos latet inter honores.
Miratur fortes animas, invictaque ferro
Pectora, quæ poſthac (veniat modo fortior ætas)
Celſior aſſurgens ſuperet, tergoque relinquat.
Quin & Amyclæus monſtrat præcepta Lycurgus,
Et leges dat nôſſe ſuas. Jamque acer Ephebus
Nôrat, queîs populi duros inflectere ſenſus
Officiis fas ſit, poteratque excelſa tenere
Sceptra puer, legeſque ſuis præſcribere Pictis.
Tum quoque magnanimos per priſtina ſecla Monarchas
Ulterius veſtigat ovans, Belumque, Ninumque,
Aſſyriamque nurum, longoque ex ordine Medos,
Grajugenoſque ſenes. irridet Sardanapali
Semiviri plumam, & nimium temeraria Xerxis
Conſilia, imbellemque animum. culpatur in Ocho
Immanis feritas, & non tractabilis ira.
Nec placet Antigoni ingenium, Syriique Tyranni
Infanda impietas. magno prognatus Hydaſpe
Se probat exemplo, quique ebrius utre cruorem,
Reginâ cogente, bibit, nec ſuſtinet altâ
Nocte premi, totum bello qui terruit orbem.
Mox recitat veteres regnatrix Roma labores:
Scipiadum pugnas, & prælia docta Camilli,
Fabriciique focum tenuem, Marique peritas
Inſidias, rapaſque Curi, frontemque Catonis
Impavidam, Fabiique moras, & Coclitis auſa.
His ſtudiis puerilem animum florentibus implet,
Et quondam facienda legit. Jamque ardua virtus,
Et probitas dudum teneris maturior annis
Mentitur ſenium. puerum ſtupuêre loquentem
Jam pueri, infanteſque ſenes, ſua nec capit ætas
Amplius ingentemque animum, moreſque viriles.
Qualiter Heſperidum ſurgit félicior hortis
Arbor, & in parvo promittit ſtipite poma,
Autumnumque gravem. ſpectant formoſa ſorores
Brachia, maturamque umbram, properataque plantæ
Incrementa ſua, feſtinaque munera laudant.
Tandem humeros circum validos prætexta Minervæ
Diſrumpi viſa, & puerâ decreſcere veſtes,
Non tamen infecta ſtabant lanugine malæ,
Nec roſeis erat umbra genis. tunc colla lupatis
Cornipedum premere, & patulos amat ire per agros,
Vectus equo, mox & Lybicas nudare palæſtras,
Mox mentita magis ſævæ præludia pugnæ
Sudantem exercere juvat, modo viſere Faunos,
Saltuſque umbroſos penetrare, & teſqua ferarum.
Et nunc arma ſchola ſenſim, lorica Lyæo
Succedunt, calamo gladius, clypeuſque papyro.
Ceu leo, Maſſylis quem ſedula lactat in agris
Uberibus mater, cum primam Martia cervix
Inſurgit metuenda jubis, exque unque leonem
Se videt eſſe, cibum indecorem contemnit, & antro
Indignatur ali ulterius, linquenſque cavernam,
Jam capit ipſe feras, vaſtisque adringitur urſis.
Haud aliter vires ultrà Stuartia proles
Horrendas latebras magnarum intrare ferarum
Ardebat, laſſo geſtans venabula collo:
Mane rubeſcentem cum vix variaret Olympum
Purpureis Aurora genis, primoque ſub ortum
Rore maderet humus. Satyri ſalsêre bicornes
Ingentes plauſêre orni, plauſêre Napeæ,
Aurarumque leves animæ, molleſque Favoni.

Sæpe Diana leves tacitè furata ſagittas
Audacis tergo pueri, cœleſtia rurſum
Spicula coryto ingeſſit. ſine ſanguine nullum
Decidit, aut volucres ſcidit ſine vulnere ventos.
Sparſit & Ambroſio juvenilia membra liquore,
Sparſit equum: crevêre animi, magnoque ſuperbus
Pondere, verberibus nullis, ſtimuliſve, miniſve,
Tranſmiſit rapidâ arva fugâ. ſtupuêre relicta
Nubila, cunctanteſque Auſtri, Boreæque ſequentes.
Nunc paulo majora canam. Tu, Gnata Tonantis,
Quâ texente, Ducis tot fortia facta leguntur,
Æterno mandata peplo. Tu pande receſſus,
Quid procul à patriis exul patraverit oris,
Robore quo ferrum, quantâ vi torſerit haſtam,
Cantabrico ſubvectus equo? nos orſa ſequemur
Eminus, & tantum veſtigia rara legemus.
Tempus erat, verno quo Titan limite cogit
Longius ire diem, quoque omnis parturit arbor,
Antiquas meditata comas, redeuntque viretis
Gramina, garritus ſilvis, riviſque natatus.
Quartus ab undecimo juveni vix venerat annus.
Cum procul externas (ſic heu! voluiſtis iniqua
Fatorum leges!) abit hoſpes & exul in oras.
Eloquar? an fas eſt, iſthoc ventura ſilere
Secla? ſed indomiti quid non jubet ira Tyranni?
Mille ut inſidias evadat ſalvus & enſes,
(Proh pudor!) imbellem juvenis bellator amictum
Induitur, cogitque peplo manſueſcere crines,
Submittitque graves humeros, robuſtaque laxat
Brachia, & aurato verrit veſtigia limbo.
It tergo demiſſa ſtola, & ſubtegmine picto
Laſcivit thorax, & habet redimicula vertex,
Brachiaque in manicis, luduntque monilia colla,
Carbaſeique ſinus humeris, & raſilis auro
Fibula coccinea conſtringit vincula planta.
Mollitiem ſimulat greſſus, vultuſque timorem
Fœmineum, tenuantque ſuas mala guttura voces.
Jamque ferè medium Flandrorum ditia prater
Rura tenebat iter, Braccataque regna petebat:
Forte aderat totâ Gradivus pectora belli
Tempeſtate calens, & adhuc à cæde Gelonum,
Biſtonidûmque cruore rubens, ut vidit eumtem,
Illico defigit, quantum cervice, comiſque
Exurgat, quantumque humeros & pectora fundat.
Miraturque graves paſſus, oculoſque vagantes,
Ulla puellaris nec habentes ſigna pudoris.
Thermodontiacam dixiſſet Amazona, peltâ
Sed caret, & ſævas neſcit pia dextra ſagittas.
Ergo ubi flectentem propius veſtigia fixo
Proſequitur viſu, vultuſque ac ora notavit
Nota ſibi; erubuit, miſtâ quoque riſit in irâ.
Jamque iterum Scyros, magnuſque recurrit Achilles,
Anxia quem Genitrix, crudelis præſcia fati,
Venturum excidium Trojæ, quondamque potentis
Everſorem Aſiæ, magni Lycomedis in aulâ
Virgineos inter cœtus, timidaſque puellas
Abdiderat, Regique gemens mandârat alendum.
Accedit tacitè, ſummoſque laceſſit amictus,
Iqne, ait, innumeras juvenis fuſure cohortes!
I felix! ſic magna decet præcordia caſus
Per varios, perque arctarum diſcrimina rerum
Ad juſtum properare decus. Tua facta per orbem
Perpetuo docta memorabunt carmine Muſæ.
Nec ſtola dedecori fuerit. muliebria penſa
Traxit, & imbelles egit cum carmine fuſos

Ipſemet

Ipſemet Alcides, molleſque indutus amictus
Ipſe puellares ſimulavit Jupiter artus.
Nec dubitat, quando celſo movet agmina Nyſæ
Pampineus de colle pater, jactatque corymbos,
Verrere humo Tyrio diſtinctam murice pallam,
Et circumtextum croceo velamen acantho.
Quin ego reginam Cypri cum viſo, cruentis
Horibus, & Getici reſperſus pulvere belli,
Obvelare caput peplo, crineſque maritam
Frangere ſæpe ſino, Veneriſque inducor amictus.
Jamque vale! meritis aliàs cumulabere domis,
Nunc ſtudij hæc cape ſigna mei, (ſimul obtulit enſem
Fulmineum) hoc noſtri ſervabis pignus amoris.
Dixerat. Ille abiens jamdudum ſubſtitit oris,
Francica terra, tuis, atque horrida bella ſecutus
Crudeles inter gladios, lituoſque, tubaſque
Duravit grave Martis opus. ſtetit acer in armis
Batigenas contra, cupiitque ſub hoſte ſuperbo
Bellatricem animam, dulcemque effundere vitam,
Si modo fata vocent. ſtupuit Turennius ipſe
Ingentes animos, invictaque pectora bello,
Indomitaſque in cæde manus. Nam denſa regenti
Agmina, ſeu frenis, ſeu cum pedes iret in hoſtem,
Limes utrinque datus, retroque abiere phalanges.
Senſerat adverſis bellax Hiſpania caſtris
Externum veniſſe Ducem; nunc arma, ſodales,
Arma, viri, ponamus, ait. quid viribus ultra
Imparibus, quidque irato certemus Olympo?
Ecce! novus noſtris ſubiit cervicibus hoſtis!
Hic niſi Liligerûm miles diſcedat ab oris,
Et noſtras regat ipſe acies, illuxit Ibero
Hæc ſuprema dies! poterit mox Gallia celſum
Exſuperare jugum, & noſtrâ conſidere terrâ,
Et Durio laviſſe comam. ſic fata, per agmen
Turbida circumfert oculos, ſubitoque minacem
Fvenſaldana vocat, qui Pallados arbore tectus
Carpat iter, ſi forte Arctoum avertere Regem,
Atque Tago ſociare queat. tum talia fatur:
Vade, age, magnanimoque hæc perfer verba Britanno:
Huc veniat, noſtriſque velit ſuccedere terris,
Quando heu! dilectis erret procul exul ab oris,
Hic proprios putet eſſe lares, hic exigat annos
Regnator, mecumque pari dominetur in aulâ.
Ille orator abit, redit exorator. ovatque
Jam Tarteſſiaco plaudens exercitus agro,
Jam vexilla vibrat, formidatoſque maniplos
Latius extendit, nec ſervat caſtra, ſed ultro
Armoricis inſultat agens, ſperatque ſuperbos
Jam jam victrici lauru redimire capillos.
Stabat arenoſa vetus arx in margine ripæ,
Cœlo inſerta caput (Mardikam nomine dicit
Flandria) Gallorum validis incurſibus illa
Heſperii nuper Domini mutârat habenas.
Huc Hiſpana phalanx campo procedit aperto,
Succeditque urbi, & vaſto ſtruit agmine vallum.
At non magnanimi ceſſat fiducia Picti.
Ecce Caledonios monitus, ac arma ſecuti,
Lecta manus, Juvenes, quos nec crudelis Enyo,
Nec prope collato ſpernat mucrone Minerva,
Portarum ſubière gradus, limenque ſub ipſum
Effregêre actâ celſos teſtudine poſtes.
Ipſe Stuartiades metitur culmina viſu,
Audaceſque rapit captiva in mœnia greſſus
Acclivum molitus iter, longeque timendus

Advolat

Advolat, & cæcum rotat irrevocabilis ensem.
Jamque petita diu prensat fastigia. nutant
Oppositæque sudes, remoræque, & vulsa trementis
Saxa labant muri, tabulataque jussa recedunt.
Talis Echionias Capaneus (si fulmina demas,
Criminaque) ingenti Thebas exterruit umbrâ
Desuper, insultansque Duci gressuque, manuque,
Molibus obstantes turmas, ferrataque claustra
Diruit, & truncas rupes in templa, domosque
Præcipitans, propriis obtrivit mænibus urbem.
Urget hyems telorum, & summis ferrea tectis
Grando furit. pinusque ruunt, fractique molares,
Roboraque, ingentesque trabes. lucentia ferro
Spicula, & arsuras cæli per inania glandes
Muralis catapulta vomit. vix Marspiter ipse
Accedat. subit ille tamen, nec pectora flectit
Imber atrox, rectosque tenens in mænia vultus,
Infrendet spissis cuneis, turrique propinquat,
Immemor interitûs, tantumque sua arma respectans.
Hyrcanâ veluti prædatrix tigris in umbrâ,
Quam catuli impasti, & proprii jejunia ventris
Ex longo exagitant, ubi sævo vidit ab antro
Securos errare greges, armentaque pasci
Eminus, invadit gaudens, spernitque vetantum
Agmina pastorum. redeunt venabula tergo
Nequicquam. prædam videt, & sua vulnera nescit.
Successum fortuna negat: quater agmina turpi
Disjecit conuersa fugâ, murosque per altos
Victor iit: quater illa iterum vestigia retro
Conversis torsêre globis, vallumque tenebant.
Interea magnum Sol circumvolvitur annum,
Ex quo castra inter, nudoque sub æthere pernox
Pertulit insanos imbres, & frigora brumæ,
Iratique poli furias. in gramine lectum
Stravit humus, capitique fuerunt culcitra petræ.
O quoties illi, regalia sidera, Perseus,
Et pater Iasides, & qui te contudit, hydra,
Arrisêre polo! procul annuit acer Erichteus,
Atque Ariadneæ radiarunt dulce coronæ.
Illi etiam ingentem cupiit jactantior ensem
Porrigere Orion, atque uno nubilus astro
Terribilem viduare manum. quin aurea Phœbe
Nocte soporiferâ, rorantibus obvia bigis,
Indoluit visu, malletque in vertice Latmi
Compositum amplecti pro dormitore marito.
Semper eum pugnæ, semperque ululata juvabant
Prælia, nec tergo, sed forti pectore notus
Hostibus, horrendo conferta per agmina suetus
Ferro aperire viam. Stupuit pugnace volantem
Scaldis equo, timidusque udis abscondidit ulvis
Cornua, limosumque caput. sub gurgite Lisæ
Horruit, ac inter clypeos, galeasque, virosque
In freta vix invenit iter. sic cædibus arctus
Ivit, & obliquas infecit sanguine ripas.
Vidistis, pavidæ Dryades, quot fortia letho
Corpora, quot Stygiis animas demiserit arvis,
Quam nunquam frustrata manus, quam vulnere nunquam
Cassa sagitta illi, quamque otia nullæ lacertis
Suaserit hortatrix animosi gloria lethi?
Vidistis vos cuncta, Deæ, vos ire retrorsum,
Vos seclo hæc memorare decet. nam fraxinus alta
Inscriptas gestat laudes, & cortice vivo
Usque notas, nomenque ævo memorabile servat.
Rumor erat dudum Dunkerkæ mænia circum
Innumeras sedisse acies, urbemque cruentâ

Obſidione premi. movet huc nocteſque dieſque,
Cantaber, & fido properat ſuccurerre civi.
Celta ubi Calpigenas procul approperare cohortes,
Et Minico ſe Marte peti, ſub manibus altis
Accipit, extemplo clauſo movet agmina vallo
Turbidus, & campo ſeſe diſponit aperto
Opperiens. tenet in capulis haſtiſque paratas
Ira manus. Et jam ſpatiis æqualibus acti,
Tantum aberant, quantum Parthâ ſolet ire ſagitta
Miſſa manu. ſonuêre tuba; fragor incipit ingens
Celtibèrum, & vaſto ſubtervolat aſtra tumultu.
Ilico colliſis gemit obvius enſibus enſis,
Et ſtrident per inane trabes. tonuêre metalla,
Et fera ſulphureo tormenta boantia hiatu
Saxa rotant, rauciſque imitantur fulmina bombis.
Jamque diem excluſit fumus, ſtant plumbea cælo
Nubila, nec globulos ultra capit arduus æther.
Idem amor hoſtilem capulis hauſiſſe cruorem,
Et donaſſe ſuum. præbent ſua pectora ferro
Obnixi, ſervantque gradus, hoſtique cruento
Dant animas & terga negant. crudeſcit utrinque
Horribilis cædes, & pugna aſperrima ſurgit.
Caſus agit virtutis opus. nunc ordine juſto,
Nunc nullo pugnatur, & in certamine ſævo
Se cæca implicuêre acies. jam ſanguine in alto
Armaque, corporaque, & comitati fata ſedentum,
Examines volvuntur equi. jam ſpreta regentum
Imperia, una equitum turma peditumque laborant,
Confuſique duces vulgo. fugit ala Numantum
Dextera, converſiſque retrorſum aufertur habenis,
(Urget enim Braccata phalanx) ſparſoſque per artus,
Tetraque congerie ſola, ſtagnantemque cruorem
Inciti equique, virique ruunt. gravis exterit ora
Ungula, luctanteſque gemunt ſub pondere manes.
Aſpicit iratus dudum Sabrinius Heros
Palantum ſtrages, ardetque reducere pugnam.
Ac celſo è tumulo increpitans: quo tenditis, inquit,
Degeneres! nullæne manus? nulla arma, nec enſes?
Hicne impune oris illuſerit advena veſtris?
Indecorem cohibete fugam. licet ecce peremtos
Ulciſci, lethove ſequi. Sic fatus, aperto
Enſe prait ſociis, mediosque agit acer in hoſtes
Quadrupedem. ficxêre gradus, hoſteſque ſequentes
Converſum ſtupuêre Ducem. ſubit ille minaci
Cuſpide, turbatiſque inſtat, ſternitque, feritque
Innumeram ferro plebem, ceu lethifer annus,
Et funeſta lues, & peſtis, & ira Deorum.
Quis denſas numeret cædes, aut nomine poſſit
Occiſos ſignare greges? hunc poplite ſciſſum
Præterit, hunc jugulo ſictum jubet ire ſub umbras,
Hunc rapido provolvit equo. pugnantibus idem,
Suppliciſque furens, falcatoque obvia ferro
Colla metens, truncos linquit poſt terga cadentes.
Thracius haud aliter primi ſub tempore veris
Hebrus, ubi hibernas tepidâ cervice pruinas
Æmus abire jubet, tumefacto gurgite campis.
It timor, obliquaſque rapit ſervantia ripas
Roboraque, annoſaſque trabes, longæva circum
Arbuſta. ipſe timet venientem cærulus Ægeus.
Tunc ferrugineum lucum, tenebroſaque Ditis
Atria confertas umbras, maneſque ruentes
Sub terram ſtupuiſſe reor. vix pallida turba
Suffecit ripa, & gemuit ſub pondere tellus.

Ipſemet

Ipſemet umbriferæ ſulcator luridus undæ
Infremuit, laſſoſque egit cum murmure remos.
Interea celſis Mavors in nubibus adſtans,
Addubitat tacitè, quemnam hoc certamine victum,
Quem viciſſe velit? nec ſtat ſententia menti.
Ipſe regit jactus, adverſaque ſpicula flectit,
Fortunamque haſtis idem venientibus addit.
Nutat utroque favor. ſed jam declivis Olympo
Laſſatis Sol ibat equis, & veſper opacus
Ombrabat longe montes, pugnamque diremit.
Quo feſſum, REX MAGNE, rapis? Tua celſior aſtris
Subducit ſe fama mihi, ridetque canentem
Inferiore lyrâ, nec pandere ſimplice verſu
Mortalem tam magna ſinit. Tua caſtra ſecutus
Haſtenus, & lituos cecini, fractaſque phalanges,
Armaque, cedenteſque viros, ac diruta valla,
Et debellatum turbato gurgite Scaldin,
Nunc Thetis alma vocat. poſt victas milite terras
Continuant tibi nomen aquæ, terræque, marique
Nuncia fama canit. Tibi formidata reſidunt
Carbaſa, belligeraque rates, & carcere miſſi,
Lenius Æolis ſpirant in claſſica venti.
Viderat Arctoum decies ſine gramine Grampum,
Biſque ter undoſum glacie ruguiſſe Sabrinam
Cynthius, & toties dederat revireſcere campos
Plutonis formoſa ſocrus, quod avita tenebat
Sceptra, & jucunda populos in pace regebat
CAROLUS. *Ecce atrox armatis Belgia ripis*
Exilnit, reſides acuens in prælia dextras.
Ilicet exitiali accingitur Anglia bello,
Exutique ſtatim viderunt æra montes.
Hic audax abies, pelagi viſura tumultus,
Sternitur, hic terrâ ramoſa cacumina ponit
Alnus amica vadis, & quercus amata Tonanti.
Faunorum flevêre greges, ſua regna relinquunt
Cana Pales, atque arboreæ Pan arbiter umbræ,
Capripedeſque Dii. nidos fugêre tepentes
Pennigeræ volucres, & fata cubilia cervi.
Omne natat pelago nemus. uncta palatia ponto
Fluctivagaſque arces ſtupeas, roſtrataque tecta,
Veliferoſque innare lares. ſi littore ſpectes
Eminus adverſo, credas tranſire revulſas
Orcadas, aut rupti deſcendere fragmina Grampi.
Jamque omnis fugitur portus, ſpumantique parumper
Signa via liquidæ, & vitreo perit orbita fluctu.
Protinus aſpectis ſiluerunt puppibus undæ,
Detumuêre animi ſubito, fluctuſque tacentes
Blandidulo pictas pulſabant gurgite proras.
Nuſquam Euri Caurique truces. tantummodo tergo
Summa levis flatu Zephyrus, ponumque jacentem
Exanimis criſpabat hyemi. pater ipſe volantes
Oceanus pinus mulcebat, & oſcula jungens
Uvida dilectis radebat pectora roſtris.
Hinc multo Proteus, duplicique hinc corpore Triton
Prænatat, hinc ſubitos qui exparvit in inguine piſces
Glaucus, & humenti viridis cum matre Palæmon.
Hic ludunt vituli, ſternuntque immania phocæ
Corpora, at hic blandi trabibus delphines aderrant.
Victorem ſenſiſſe putes. Nereides almæ
Molli utrumque latus gaudent ambire natatu,
Officioque carêt ſpumantum nulla ſororum.
Carbaſa pars pandit zephyris, pars tranſtra repurgat,
Temperat hæc fluctus, hæc tendit ſtuppea mali
Vincula, at illa altis annectit ſuppara velis.

Sunt

Sunt, quibus explorare petras, fundumque profundum
Eſt labor, & bolides cæcis immittere arenis.
Aſt ubi Battavicas contra adventare carinas,
Et ſcindi adverſum trabibus ſpumantibus æquor,
Dux celſâ de puppe videt, ſic ora reſolvit,
Affatus ſocios, monitiſque exſuſcitat iras:
O juvenes, mecum Boream, iraſque furentis
Aſſueti durare freti, quem cernitis hoſtem
Credite materiam laudis, veſtramque rapinam.
Non contra iratos mucronem ſtringimus urſos,
Non ferro Lybicos imus cum fare leones,
Aut rabidas ſuperare tigres. terrâque marique
Invalidam aggredimur gentem, noſtriſque lacertis
Jam toties doctam ſuccumbere, (quid moror ultra
Verboſus?) ſat erit ſi nomine dixero Belgam.
Faſne ſuis illi ſit debellare carinis
Natum ponto Anglum, & cui primus in æquore vaſto
Vagitus, præbentque udæ cunabula ripæ?
Non ita Dii, non noſtra velit metuenda machærâ
Dextra truci, non fama ipſi contermina cœlo.
Jactitat ille quidem vires, atque æmula noſtris
Sceptra tenere putat demens, Dominuſque profundi
Scilicet incedit. ſed enim quid Belga Britanno
Diſtet, & horriſonis Nereus cui ſerviat undis,
Hac pugnâ monſtrate, Viri. nos inter & illum
Judex enſis eat. date tela, ſcandite tranſtra,
Deturbate foros, flammâque abſumite puppes.
Talia vociferans, ſenſit delapſus in hoſtes.
Nec mora: nautarum vagus aſſilit æthera clamor,
Complentúrque fori. Tamiſinæ ſponte carinæ,
Non exſpectato clangentum more tubarum,
Hoſtiles petiêre rates. lituique, cavæque
Tum demum ſonuêre tubæ, cornuque remugiit,
Claſſicaque â tergo bellum invenêre ſecuta.
Tantus amor pugnæ! talis ciet æquora Brito!
Jamque terit puppis puppem, colliſaque roſtris
Roſtra crepant. ligat hîc iteratis morſibus altas
Uncus atrox proras. illic Neptunia proles
Cominus obnixi terreſtria prælia miſcent.
Fulmîneis alibi Vulcania machina bombis
Coſtarum ſolvit nexus, & mœnia rumpit
Lignea, fluctivagaſque docet ſubſidere turres.
Innumeræ lethi facies: nec limite ab uno
Mors miſeris infanda venit. pars gurgite ſummo
Singultant dulces animas, potantque ſupremis
Halitibus proprio permiſtam ſanguine Tethyn.
Fragmina remorum pars, & fluitantia prenſans
Tranſtra, fatigatis humero ſub utroque lacertis
Æquora vaſta ferit, ſperatque ad littora fruſtrâ
Elabi, & patrias, quas non circumſpicit, oras.
Ecce! rapit miſeros vortex, medioque natatu
Fractarum ſubitâ ratium periêre ruinâ.
Hi plumbo globuliſque cadunt: hos cominus hoſtis
Demetit enſe furens; hi, deſcendente carinâ,
Unâ operâ ad manes ivêre, Stygemque propinquam.
Diræ alios ſorpſêre faces: exuſtaque tranſtra,
Flagrantique intus correptæ ſulphure coſtæ
Advolvêre polo. miſeri per inane volantes
Hei mihi! vicinis animas liquêre ſub aſtris.
Jamque omnis timet unda nefas. reſſuuntque fluuntque
Corpora, ludibrium pelagi, forteſque lacerti,
Oraque, & abſciſſæ redeunt in pectora dextræ.
Luctus ubique, ingenſque dolor! non Strymonis unda
Sævius, aut Getico rubet altius Hebrus ab enſe.

Anceps

Anceps pugna din. ceu cum duo carcere fratres
Æolio erumpunt, Auſter, Boreaſque, nec ante
Convenêre ſatis, Lybicos uter obruat agros
Flatu, uter Ionios attollat fluctibus undas?
Incerti primum ſtudia in contraria rapti
Scinduntur, ſurgunteque ira, pugnantque, fremuntque.
Terra gemit, clamatque adici cervicibus Atlas,
Intonſæque boant ſylvæ, freta, nubila: donec
Aut nimiis hic vicit aquis, aut ille procellis.
Interea Albionis rapido Prætoria curſu
Vecta venit, centumque vomens incendia portis,
It pelago, ratibuſque timor. ceſſêre parumper
Battavicæ pinus, retro ſua vela tenentes:
Pars mediâ ſedêre fuga. ſubit illa minaci
Ære tonans, flammaſque rotat. juvat ipſe maritus
Cypridos, & cæcis incendens ſulphura clauſtris
Nautaſque, fractaſque rates, atque arma ſub auras
Cum tonitru agglomerat, cinereſque aſpergit olympo.
Fumantes redière trabes. cælum omne remugit
Ictibus, inque vicem timuerunt ſidera & undæ;
Sidera Phlegræos expectavêre furores,
Incenſæ metuêre undæ, ne regia Nerei
Concipiat flammas, penituſque ardeſceret igne
Pontus, & in ſiccas redeant exuſta favillas
Atria cæruleæ Thetidis, Phorcique penates,
Nereidumque lares. talis furit æquore Pictus!
Non ferrum, non æra tegunt, non abjete craſſo
Intextæ grandes coſtæ. lacerata fatiſcunt
Robora, & innumeris potant ſalis æquora rimis,
Accipiuntque inimicum imbrem. ſtat plurima clavis
Orba, ac diſruptis velorum ingentibus alis
Ignavi repunt ventres. hac ſancia crebro
Vulnere, jam vaſtum metuit mergenda profundum,
Illa fugam molitur iners. Sic horrida Priſtis
Cum vaſtâ ſe mole movet, terræque propinquans
Incluſum vomit ore fretum, ſtupefacta recedunt
Littora, vicinique timent decreſcere montes.
Diffugiunt trepidæ, cæciſque abduntur in ulvis
Squamigeræ gentes, & natio muta natantum.
Ecce Caledonium magno cum turbine plumbum
Fertur in Opdamum, quo ſolo Belgica claſſis
Nixa ſtetit, lateriſque obtiqua ſiniſtri
Vincla ſecat. cadit ille, & in ilia flexus,
Relliquias anima cogit, pugnatque dolori.
Accurrunt pavidi ſocii, cupidumque redire
Sanguineam ad pugnam, mediâque in morte negantem
Exſpirare trahunt, ſummaque in margine prora,
Unde illi in pelagus paululi proſpectus & hoſtem,
Deponunt flentes. ſed & ipſe recedere cælum,
Lethalemque hyemem paulatim inſerpere fibris,
Senſit, & innixus rabulâ, miſereſcite, clamat,
O ſocii! heu! veſter quondam (dum fata ſinebant)
Ductor eram; trucium prohibent nunc penſa ſororum
Hei mihi! quod veſtras non ultra cernere pugnas,
Non poſthac bellare mari, non tranſtra ſuperba
Albionis, liceatque inviſas mergere puppes!
Labimur! extremis hoc vos ſingultibus oro,
Hoc linguâ labente peto, (ſi ſanguinis ulla
Gutta adhuc Battavici circum præcordia fervet,
Si merui infelix, nec me virtutis egentem
Aufert atra dies) flammis ultricibus hoſtem
Infeſtum urgete, & veſtri ſatiate ſupremos
Ductoris cineres, & ab Anglo ſumite pœnas.
Dum clamat, ſubit ore, alio baliſta molari,

Nec prohibent fauces, pariterque horrore ſub imo
Vox acies, & vita fugit. ſua murmura dentes
Non peragunt; pereuntque infracta in ſanguine voces.
Tum vero avertunt toto ſua carbaſa ponto,
Et trepidâ dant terga fugâ. non ira, nec ultra
Ardor habet pugnæ, tantummodo portus & ora
Patria ſpectatur, laceraſque trahentes puppes,
Quà licet, extremam properant evadere cladem.
Proſequitur Brito inſultans, atque æquore toto
Diſſectis cupit ire comes, dum copia ponti.
Iſſet & in terram victor, gentemque ferocem
A ſtirpe extinxêt, bellique hoſtiſque fuiſſet
Illa ſuprema dies: ſed enim vetat arduus ipſe
Axe ſedens Mavors, retroque agit enſe carinas.
Viderat â Batavâ redeuntem cæde Britannum
Neptunus. calidis dum vix elapſus ab antris
Captat anhelus, hiani, auras, & flatibus æſtum
In ſummo relevat pelago. ſtant tecta favillis
Corda illi, triſteſque obducunt lumina pruna,
Fronte ſedet teter fumus, fuligoque circum
Obnubit regale caput. late igneus ora
Eſt vapor, & diro ſordeſcunt pulvere crines.
Plurimus inſternit barbam cinis, atraque mento
Canities exuſta jacet. rediiſſe putares
Enceladum, & Siculas nuper liquiſſe cavernas.
Ut procul aërias vada verrere falſa triremes
Advertit, puppeſque ſalo tranſire ſuperbas,
Ter, quater, annoſum quaſſat caput (ore favilla,
Et cecidit de crine cinis,) tum pectora pulſans,
Æſtiferoſque alto ructans è gutture fluctus:
Quis furor, heu! noſtros ſic inceſtare penates?
Clamitat, haſne mihi reddis, Dux maxime, grates,
Quod toties hoſpeſque tuis, & conſcius actis?
Aſpice, quam toſtus vultum, quam fumidus ora
Emergam? quantaque urant mea lumina flamma?
Hei mihi! jam totas habitant incendia fibras.
Ille ego cæruleum ſceptro qui tempero pontum,
Et fluctus frenare feror, cui proxima cœlo
(Sic ſtatui demens) obvenit ſorte poteſtas,
Sedibus antiquis pellor. mea regna ſceleſtus
Ignis habet, totâque faces dominantur in aula.
Æquora jam ſicca quærunt morientia ripæ.
Vix ego per flammas, ſuperas male ſoſpes ad auras
Evaſi, exuſtuſque adſum. cur futile telum
Geſto ultra? cur unca meos gravat haſta lacertos?
Hîc jaceat (projecit enim indignatus) inanis
Fuſcina, contemtuſque tridens. dimitto vadoſum
Imperium, & fratris vado vagus exul ad oras.
At Tu, qui tumidus ſpoliis & ſanguine fuſo
Victor ades, ſi forte placet, tu tolle tridentem,
Unda tibi pareatque fretum, tibi terga profundum
Subſternat, tibi reſtinctis mea regia flammis
Recludat graviſa fores, malitque videre
Te Dominum, & noſtris graviores cernere vultus.
Fortunate Heros! ſpondent tibi mitia dudum
Imperium fata, & quondam tua tempora ſperat
Fraternæ nunc fronti honos, diademaque lætus
Cernet & invictum Brito geſtare Jacobum.
Quondam etiam (novi nec me mens præſcia fallit)
Belga aderit, totumque renatis claſſibus æquor
Inſternet, formido maris: ſed robore cuncto
Exutus, rarasque vehens ad litora puppes
Uſque Tuum trepidabit ebur, nec bella deinde

Ulla

Ulla volet gerere, & Tamisina lacessere regna.
Dixit, & ad superum extorris concessit Olympum.
Omine non caruit sermo Neptunius. Olim
Battavicæ rediére rates, atque æquore pulsæ:
Et Tu sceptra tenes. Feliciter! *Anglia longo*
Jam luctu se solvit ovans, nescitque dolorem.
Jam tristes gemitus, & funereos ululatus
Ultra Sarmaticas longè jubet ire pruinas.
Jam priscos iterare dies, priscumque decorem
Incipit, & vultum sumit gavisa serenum.
Ille pater patriæ, CAROLUS *moderamine clavi*
Absiliens, trepidam super nutare carinam
Fecerat. ipsæ illum, sylvæ, flevistis, & amnes,
Et procul undisonum longè sub gurgite vasto
Oceanum gemuisse ferunt. freta murmure rauco
Quærebant Dominum, sonituque imitante querelas
Tristia torpentes lambebant littora fluctus.
Mussantes Procerum cœtus, & nescia flecti
Pectora Semideûm fletu maduisse tepenti
Vidimus, antiquas veluti cum, vere reverso,
Thrax Hæmus sinit ire nives, & vertice ab alto
Sole liquescentes multus descendit in amnes.
Non, labente Numâ, similes per culmina septem
Auditi gemitus: nec cum pater ipse curules
Desereret patrium repetens Augustus Olympum,
Sic Latii planxêre patres. Sed pulsa recedunt
Gaudia, & Albionem similis jam sustinet Atlas.
Ceu ubi tristis Hyas furit, & frondosa maligno
Afflantur fruticeta Noto, stat squalida tellus,
Nullus honor sylvis, exspirant florea prata,
Gramina jam valles, jam quærit campus aristas:
Pallescunt nimio moritura roseta madore,
Et pereunt vineta jugis: si clara refecit
Aura solum, terræque iterum vidêre serenum,
Jam redit omnis honos, meliusque renata virescunt
Germina, & incultas decorat sua gloria virgas.
Hæc est Albionis luctu surgentis imago.
Et jam regales fervent discursibus arces.
Huc properat visura cohors, spaciosaque complet
Atria. quam multi circum torpentia Lethes
Littora funduntur populi, cymbamque reverti
Sperant, & curvas servant per secula ripas.
Quam multa ad terram, cum trux insibilat Auster
Frondibus Hercyniis per inæquales Autumnos,
Lapsa cadunt folia, ac umbrosa cacumina nudant.
Huc grege permixto per plana, per invia tendunt
Matres atque viri, pueri, innuptæque puellæ.
Illi etiam, tremulum queis scipio fulcit gressum,
Quosque effæta domi per seclum abscondidit ætas,
Adrepunt. cunctis arvis ac mænibus adsunt
Exciti populi. qui Kentia jugera multo
Vomere suspendunt, Iceni, fortesque Dobuni,
Quos Hantonus ager, quos Westmorlandia nutrit,
Qui te, Dune, natant, ac spumea pocula sumunt
E fluvio, Salveje, tuo. Rossique, Marique,
Pictique, Bradique truces, validique Bogani.
Quin etiam egelidæ quidam de littore Jernes
Huc fessas egêre rates. cupit obvius ire
Quilibet, atque novos Regi gratatur honores.
Stat campis tugurI congestum cespite culmen,
Desertumque silet, sulcosque reliquit arator.
Nec scopulis hæret madidus piscator in udis.
Et timidas videas herbosâ in valle capellas
Pastorem nescire suum, sylvisque ferarum

Securos

Securos cœtus, nullo venante, vagari.
Fervet iter cursu. non aut Ephyreïa tantos
Ripa unquam, aut atrox aspexit Pisa tumultus,
Aut Nemeæus ager. portis immissa superbis
Unda fremit vulgi, sudatque accedere limen.
Hic eques, hîc pedes, hic tunicæ stola mixta laborat.
Jam clamore via, plausu jam regia mugit,
Acceptosque sonos longe vasta atria frangunt,
Multiplicantque simul. cœlum strepit omne tumultu.
Ipsa cavis habitans JACOBUM *in turribus Echo*
Discit, & Augustum recitans vaga sidera Nomen.
Responsat Cluvida procul, Niduſque, Tauſque,
Et Lomunda palus, nec in alto vertice rupes
Epidiora silet, nec qui cervice profundo
Imminet, & tumidis obstat Tarvisius Austris.
Ipse resultantes inclinat vertice montes
Grampius, & melius venis coxisse metallum
Dicitur. applaudit festivis Sineus undis,
Saverenusque Pater, perque horrida saxa refractis
Mugit Succus aquis. at in ndo littore Slana
Lenè strepit calamis, & arundine dulce susurrat.
Tuque, procellosæ qui servas littora Fernes,
Isane, & adversam prospectas arduus Arren,
Haud mutum vis esse jugum. medioque natantes,
Orcades, oceano plausu fremuistis alacri.
At Tamisis, raucæ largitor corniger undæ,
Dum sedet, & solo terit otia desesin antro,
(Antro horrendo, ingente, suos unde Iris aquosa
Humores, arcumque petit, formatque colores,
Unde polus, Titanque bibunt, & pascitur æther,)
Miratur dudum strepitum, murosque per altos
Confusos ferri sonitus. movet obsita velox
Ora situ, veteriquè caput venerabile musco.
Ac primum insolitas pompas, lucemque coruscam
Gemmiferi expavit solis, terque ardua mersit
Colla antro trepidus: lætus mox, Cæsare viso,
Se levat exurgens, liquidisque attollitur undis.
Illum exertantem squalenti turbida limo
Tempora, arundineumque caput, sabuloque gravatum
Pectus, & ulvosas malas, vestitaque junco
Cornua, mirantur ripæque, amnesque minores,
Littoreumque nemus. Viridi mox arduus herbâ
Procumbens, dextrâque genas, mentumque remulcens,
Circumfert madidos oculos. tum vellicat udâ
Annosum e barbâ calamum, cantusque sequentes
Inspirans resonare docet: (procul assonat olli
Cantanti sylva, & juga respondere laborant)
Salve, MAGNE HEROS, magnum Jovis increm
Jamdudum notum numen mihi! nunc meus orbi
Invidiosus honos, nec quo laus nobilis ultrà
Progrediatur habet, cum Te prope nôsse, Tuumque
Immortale jubar vicinâ cernere ripâ,
Et mihi quotidie sit copia prendere dextram,
Barbara quam Thrace, rigidi quam tangere Mauri,
Sauromataque, Hunnique petunt, liceatque tueri
Ora simul pacem, & fortem spirantia Martem.
Nunc nectar mihi rivus erit, poteritque Lyæum
Rursus ab oceano veniens Neptunia Doris
Gustare, Hyblæos & Isis libare liquores.
Balsama jam quercus, sterilis jam pinus Amomum
Stillabit, jam lenta salix, & aquatica lotos,
Et tiliæ molles, & fraxinus utilis hastis
Assuescent sudare favos, & dulcia mella.
Jam myrrhâ cærula fluent, nardoque myrica.

In dumis poterit jam quærere poma colonus,
Purpureosque botros. matura Cydonia sœnis
Cardnus, & dura producent Punica vepres.
Maxime fatorum domitor, Tu sœcla reduces
Aurea Saturni, subitisque exsurget aristis
Campus, & injussos mirabitur orbita culmos.
Coctile tu Tyrio mutabis marmore saxum.
Per te felices habitabunt rura Napœa.
Te legum custode, nefas, visque, insidiæque,
(Informes scelerum facies) artesque Sinonis,
Et vafri cessêre doli. redière fugata
Alma Themis, simplexque Fides, verumque, pudorque.
Eloquar? haud similem sceptris genuêre priora
Secula, nec similem poterunt sperare minores.
Tu, si torrentes Lybiæ sitientis arenas
Incoleres, madido descendat creber in imbre
Jupiter, & cœli tellus bibat arida succos.
Si te præsentem videat circumflua Thule,
Antiquum daret ire gelu, glacieque careret
Asper inaccessis exurgens rupibus Hecla.
Dicite io! fontes, & io! vos dicite, ripæ!
Ille ego jamdudum famâ super æthera notus,
Nunc proprium vix nosco decus, laudumque gravatæ
Pondere colla labant. Ultro mihi cedet Iberus,
Cornua summittet Ligeris, venerabitur Albis.
Danubio, vage Rhene, meos narrato decores,
Forsan & is nostris assurget pallidus undis.
Plura Pater cecinit Tamisis: sed vix satis ipse
Confusum clangorem, & rauca murmura barbæ
Percipit, obtusos ita strides arundo sonores.
Quin etiam ripæ, saxosaque littora circum
Impediunt vocem, rapiuntque infecta procellæ
Carmina, & attentas prohibent pertingere ad aures.
Hæc eadem juvenes repetunt, matresque, patresque,
Longævique senes, & mitia pensa sororum
Hunc gaudent nevisse diem. Tibi pectore in uno
Omnia regalis stipavit dona tiaræ
Omniferâ Natura manu, nimiosque decores
Indidit, & totum vacuavit prodiga cornu.
Tu vementem imbrem, tempestatesque futuras
Præsagus sentire potes, vitamque quietam,
Alcyoniumque dies populo dabis. omnia versas,
Omnia, quæ peragenda domi, quid postulet altum,
Quæ tractanda foris, quâ libertate colonus
Gaudeat, incurvus sulco num vivat arator,
Num gemat impositio fiscus suo pondere civis,
Quid beet undivagum nautam, quæ fœnora, quisque
Lucra inhiet tostos fugiens mercator ad Indos?
Nunc mihi centenos jacta, fabulosa vetustas,
Argi oculos, unam suetos servare juvencam.
Hic majora stupe. centena hic simplice visu
Aspicit, & gemino lustrat tria lumine regna,
Hic vigiles versans per tot discrimina sensus,
Observat, quid fortis Iber, quid Lilæger Heros,
Quid Batavus conetur agere, quid cogitet ille,
Horrida Caspiaca qui servat limina porta?
Nescio quid primum mirer? Tu legibus Arcton,
Obsequioque tenes, sed nobile primus honestum
Quæris, & hinc civis melior tua jussa capessit.
Jus populi vis esse Tuum. discrimina sola
Majestas, faciuntque altâ diademata fronte.
Proh superi! quis juris amor! quæ cura severa
Justitiæ! sacri quanta est reverentia recti!
Non tibi venales tempestas aurea leges.

Perpluit, aut pretio Themis empta incedit iniquo.
Ille ſuos citius, luſtrat qui lampade terras,
Flammiferos reflectat equos, cadat arduus æther,
Et ruat immenſi citius vaſtiſſima cœli
Machina, quam ſanctis cedas è tramite juris.
Tu ſi priſca ſuas neſcirent ſecula leges,
Imperiis præcepta dares, populiſque regendis
Regula prima fores. Cedat Trajanus, & omnis
Græjorum clamata cohors, aſperque Lycurgus,
Hirſutuſque Solon, & qui Locrenſibus olim
Præfuit, unoculus ſimili cum prole Zaleucus.
Jam miſeris quam mitis ades! ſub pectore quiſquis
Secretum nutrit vulnus, longumque dolorem
Alto corde premit, videat ſi Cæſaris ora,
Et placidos vultus, majeſtatemque ſerenam,
Jam lætus, jam pulſo hilaris mœrore recedit.
Albion addubitat, teneaſne excelſus habenas
Rex melior, meliorne pater? Tua dextra ſuperbos
Deſtruit, & civi parcet manſueta fideli.
Qualiter horrificos cœlo cum Jupiter ignes
Vibrat, & Ætnæis Cyclopum rapta caminis
Iratâ rotat arma manu, cadit ardua quercus,
Procumbunt celſæ turres, ſidunque minantes
In cœlum cervice petræ: ſecura per hortos,
Parva liguſtra latent, calthaque, humilesque myricæ,
Submiſſumque cicer, fragiliſque in littore arundo.
Quid? quod alit fortes eadem Tecum ira leones.
Corpora proſternunt illi: cum decidit hoſtis,
Jam redeunt ungues, incenſaque corda tepeſcunt:
Ire ſuper ſatis eſt, & vitam linquere victo.
Tu pronus venia, lentuſque expoſcere pœnas,
Tu tardas reſponſa reis, & jura moraris
Triſtia. non placidum ſævi ſitis atra cruoris
Accendit pectus, non gaudet dextera cæde.
Tu, cum triſte aliquid ſtatuis, triſtaris & ipſe,
Invituſque ſoles nigrum præfigere theta
Delicto, & meritum cunctaris plectere civem.
Pœna Tua eſt, punire Tuos. pro crimine magno
Supplicium Tibi vile ſat eſt. Quis prædicet ultra
Jam lenes in verba Titos, Marcoſve, Pioſve?
Hic etiam laribus Regum confunditur aula
Privatis, ſpernuntque gravem pallatia faſtum.
Tu viſu facilis, Tu vulgo affabilis omni.
Nam mulces radios, ſubmittiſque alta modeſte
Fortunæ vexilla Tuæ. tamen ore renidet
Occultatus honos. Talem quoque luniger hoſtis,
Biſtoniique Getæ, & vultu pallente Geloni
Immiſtum mediis poſſent agnoſcere turmis.
Non alius Lyciâ rediens venator Apollo
Permutat ſua tela lyrâ: nitor arduus oris
Inceſſuſque Deum monſtrat. licet ipſe pharetram
Non gerat, & nullæ rigeant per terga ſagittæ.
Hoc vultû lucis Aleæ Tegeæa ſacerdos
Amphytrioniaden vidit, parcique Molorchi
Admirata domus, tenuit quoque Mænalis Auge.
Parva loquor. talis ſecreto limite cœli
Ipſe Tonans, cœtu circumſtipante Deorum,
Æthiopas luſtrare ſolet, cum fulmina feſſus
Jam poſuit, ceſſitque altâ nubecula fronte.
Quid vultus, REX MAGNE, *Tuos, & dicere dotes*
Præſumo, mortale ſonans? hem! noſtra fatiſcit,
Laxaturque chelys. tantis ſubſidimus auſis
Jamdudum, immenſaque abſorbent carmina laudes.
Non ego ſi cunctos epotem Phocidis amnes

Helluo

Helluo, & undosos restagnet gurges in haustus,
Assurgens, Te digna canam. Sed Fama caballum
Gorgoneum inscendit, melisque cbuccinat, omnis
Qua tellus, pelagusque patet, Tua facta, Tuasque
Virtutes, celsumque decus. procul audiet alti
Littoribus Pontt circumsiua conjuge Peuce.
Trans & Amazonii ululatam Phasida peltis,
Memnoniasque domos ibis. celebrabere Sinis,
Audiet & siquis supra glacialia Thules
Æquora crudeles æterna nocte pruinas
Aspicit, & nunquam soles expectat amœnos.
Ergo attolle tuos mœsto de pulvere vultus,
ANGLIA, *& excelso multum Rectore superbi,*
ANGLIA, *terrarum pulcerrima. te neque luctus,*
Nec moeror, nec dira decent lamenta beatam.
Hic Risusque, Jocusque habitent, & candida tantum
Gaudia, & â nullo comitata dolore Voluptas.
Credo ego jam Dryadum penitus nescire choreas
Mœnalon, & sylvas jam quærere Pana Lycæas,
Et Faunos Taygeta suos. petiere Britannos
DIque, Deæque omnes, hîc felicissima rura
Mirati, solemque alium, sedesque beatas.
Suspirant torvam Cynthi juga celsa Dianam,
Et Divam Cyprus alma suam, Paphiique recessus.
Nysa caret Baccho, Phœboque umbracula Thymbræ.
Jam Lestrygonii sordescunt littora Regis,
Lucrinæ erubuêre domus, Laurentiaque arva
Magnanimi Turni, nemorosque Anxuris arces,
Et Circes fatale jugum, pomariaque alma
Alcinoi, Hesperidumque auratis frondibus horti.
Cedant facundi pecuaria culta Galesi,
Balatuque sonans vallis Mevania cedat.
Non similes pascunt Clitumna novalia tauros.
Nec similes Epirus equos, Pholoeque sub atris
Dumetis nutrire solet. doluêre relinqui
Ipsa etiam nemoris fortunatissima tempe
Æmonii, raucis Peneus quâ volvitur undis.
Quin ego quos campos olim veneranda vetustas
Credidit Elysios, hos esse (ignoscite vates!)
Arbitrer. hîc eadem mutato nomine surgit
Fabula. convenium locus, æther, & omnia. terris
Dixerunt loca sola tegi: sunt orbe Britanni
Divisi reliquo. senis isthic flumina lembo
Perpetuum resonant: Britannia visitur undis.
Isthic felices animantia noxia campi
Ignorant: non hîc plenum nocturnus ovile
Infestat lupus, hinc vastis barritibus ursi
Absistunt, colubrique truces, dirique dracones.
Isthic jucundo vestitur lumine cœlum,
Et ver perpetuum, & semper purissimus aër
Formosis incumbit agris: hîc bruma tepescit,
Æstivi frigent soles, nec sævus anhelo
Corrumpit messem latrator Sirius æstu.
Implumes isthic ludunt per prata Favonii:
Ipsamet hîc campos struxit formosa Voluptas,
Ipsa & Acidaliis unxit ridentia succis
Jugera blanda Venus. nescit locus iste bilingues;
Sed mites vivunt animæ, vitiisque carentes:
Hîc Pietasque, Fidesque habitant. quid pluribus? isthic
Incorruptam urnam versat Rhadamanthus, & æquum
Distribuit sincera manus: Themis optuma dudum
Hîc dulces vult esse lares, terrisque fugata
Ex aliis, solos non vult liquisse Britannos.

Haud

Haud ulli Natura loco sic favit, & artem
Exeruit, vireſque ſuas. ſtupet ipſa beatum
Circumplexa ſolum Tethys, & mollibus undis
Aſſiliens circum, vix audet tollere fluctus.
Quis dignè formoſa tuas canat, ANGLIA, *laudes?*
Tu vicinorum ſpectans certamina Regum,
Sanguineaſque orbis pugnas, mundique labores
Jamdudum ſecura ſedes! tu vulneris expers,
Et jactum teli extra. te ſpumeus ambit
Agger, & undoſi circumſonat umbo profundi.
Haud ulli temerè eſt animus ſuccedere: nulli
Cominus hoſtiles advertere littore puppes.
Præſidiis tu tecta tuis, immotaque cunctis
Caſibus, ex altâ inſultantes deſpicis arce.
Non aliter ſi vaſto cautes Marpeſia ponto,
Cui ſubter Stygium radix premit infima Ditem,
Nec maris irati rabiem, nec fulmina cœli,
Nec Borea fera flabra timet. petit unda minantem
Cervicem, ſed fracta redit, fluctuſque furentes
Se retro in rabidas agitant cum murmure ſpumas.
Hoc unum tantis deerat ſplendoribus, unum,
Ut Pater excelſas regni tractaret habenas.
JACOBUS, *regeretque altæ moderamina puppis.*
Imperio oceanus, famæ nunc terminus ipſa
Regia crit convexa poli, cœlique ſubibit
Sidera majeſtatis apex, cum publica tanto
Perſtat Atlante ſalus. tremit ad tua caſtra Pyrene,
Cimbrorum formidat ager, ſua colla Triones
Submittunt, Sueoneſque invictum Numen adorant.
Accedit placidam prætendens Cæſar olivam,
Fœdera depoſcens. æternam Gallia pacem
Exorat, jugemque petit ſibi Celta quietem.
Ipſe colit mixto bellator Belga timore,
Auguſtum veneratus ebur: nec verbera poſthac
Experta exſpectare volet, ſentireque dextra.
Diriguêre omnes. quin dira binominis Iſtri
Oſtia jam claſſes, & formidabile ferrum
JACOBI *tremuiſſe ferunt, penituſque cruentum*
Abjeciſſe enſem trepidâ formidine Thracem.
Hactenus alma chelys. ſubſidunt flaccida vela,
Et meruit longo placidum ratis æquore portum.
At Tu, Magne Heros, fortunatiſſime Regum,
Hæc facili cape dona manu, quæ pauper acerrâ
Nequicquam fumante lito. ſi montibus altis
Errarent mihi mille greges, ſi prata capella
Tonderent, centumque novalia culta juvenci:
Thura darem, aurato caderet Tibi victima cornu:
Nunc clemens hæc farra proba, nec vile ſalinum
Faſtidi, neu liba Tibi, ceſpeſque minutus
Diſpliceant, aliis dum ſtant altaria donis,
Atque alias habet ignis opes: ſi eſt amula Divis
Vita Tibi, mores ſi dudum agnoſcit Olympus
Ipſe Tuos. vili placantur Numina in hœdo.
Parva licet, magnum delectant caſta Tonantem.
Sis felix, patriique diu moderamina clavi
Dirige. Gnoſiaca Te lucida ſtella corona
Vicinum ſpectare volet; Tibi contrahit enſem
Armipotens Mavors, clavam Tirynthius Heros:
At genium templis hic Tu naſcentibus inſer,
Hic tibi quæ delubra damus, quæ templa dicamus,
Ipſe colas, videaſque Tuos dare thura nepotes.